DE SACRA ELOQUENTIA

ORATIO

HABITA IN SEMINARIO EPISC. VICETINO

A CAROLO BOLOGNA

EJUSDEM SEMINARII STUDIORUM PRAEFECTO

ANNO MDCCCXXXV

JOANNI ANTONIO FARINA

EPISCOPO TARVISINO

Quum Tu hodierna die tam sublimi dignitate conspicuus ad Tarvisinae Ecclesiae regimen suscipiendum accedas, Seminarium Vicetinum, quod Tibi debuerat, publicum laetitiae, et obsequii, et grati animi exhibet testimonium. Tu enim, qui in hoc Loco et praeceptoris officium, et sacrarum disciplinarum moderatoris vicem summo studio, summâque erga istud bonarum artium domicilium benevolentiâ gessisti, in hunc modo honorem, in hanc amplitudinem ob tua praeclarissima merita adductus (quod quidem tam brevi tempore

postquam alius e nostrorum praeceptorum numero nobilissimus Antistes electus fuit, vix unquam omnino sperabamus futurum) splendidissima sane ac prope singulari gloria nos afficis, atque illustras. Accipe igitur pignus amoris atque observantiae nostrae Orationem Latinam, quam Carolus Bologna in hoc Seminario studiorum Praefectus, familiarissimus tuus, habuit olim de Sacra Eloquentia, cujus Tu quoque praeceptis hanc juventutem strenue imbuisti; idque cum tibi gratum ac perjucundum pro tuâ erga illum necessitudine fore confidimus,

tum vehementer optamus, ut Tibi Tuisque, qui Te hodie in patrem peramanter laetantesque suscipiunt, in bonum fortunatumque omen perpetuo sit.

ANTONIUS GRAZIANI
SEMINARII MODERATOR

ORATIO

Memini jam me, neque semel, eloquentiae et in primis ejus, quae ad nos pro vitae nostrae instituto propius pertineret, vicem non tacitum doluisse, quod a veteri illa dicendi facultate, atque adeo a se ipsa descivisset. Verum tunc spectabam alio, neque ego poteram aut vero debebam plura dicere pro rei magnitudine, quam certo jam inde intelligebam majora a me postulare, eoque vehementius, quo gravius cognoscebam malorum temporum corruptela periculum impendere. Amor enim ille exquisitioris doctrinae et reconditae, illa scientiae cupiditas, quae praecipue hac aetate multorum animos ad rerum pulcherrimarum et maximarum cognitionem inflammavit, tamen nihil non movit, illud etiam studium impotens novitatis, in alienas quasi possessiones irruit, et artium omnium, quae constant imitatione naturae, atque adeo eloquentiae, jura

pervertit. Alia enim a dicentibus ex artibus quibuscumque peti, alia ex gravissimis disciplinis arcessiri, depromi pleraque ex philosophia, omnia undique exquiri, cogi, efferri non apta oratione, ut vix liceat nunc agnoscere in templis eloquentiam, quam gravem, quam ornatam, quam copiosam et verbis et sententiis instructam popularibus, jam olim oratores egregii et summi protulerunt. Neque tantum peccari solet in re tanta, sed etiam peccatum fidenter defendi a quibusdam, qui praedicant et clamant, hoc tempore civili liberalique cultu expolitos esse mores, artium, disciplinarum, inventorum lucem undique in omnes partes diffusam et propagatam, regnare in gentibus philosophiam, mentes et pectora incendi et occupari amore veritatis, in cujus cognitione jucundissima unice conquiescunt. Serviendum igitur saeculo si tibi velis praeberi aures cum verba facis; indulgendum ingeniis et voluntati eorum qui nunc vivunt, si sapias; quaerenda alia eloquentia, quae ratione audientes ducat ad virtutem, et ad religionem amandam potius blandimentis laetarum rerum, quam timendam minis terribilium; in nova doctrinarum facie inducenda eloquentia nova, pulsa illa obsoleta, quam patres et majores nostri pro suis aetatibus suspexerunt.

Contra quos cum multa dici possint, et dicta multa jam sint, et dicantur quotidianis crebrisque sermonibus, turpe mihi sit omnino tacere, nec illud saltem perficere quod ante cogitabam, maloque ingravescenti,

sin alia ratione possem, voce resistere. Neque vero hoc ita dico quasi disciplinas et artes nunc utilibus auctas et locupletatas incrementis, et in primis philosophiam, quae est dux caeterarum, ullo modo illis invideam, qui ad sacrae eloquentiae laudem contendunt. Sint, per me licet, sint oratores sacri, tanto digni nomine, egregie in optimis liberalissimisque studiis versati, sint praestantissimarum artium omnium insignem adepti prudentiam, et praecipue philosophiae, sine qua novimus et profitemur neminem aut eloquentem unquam, aut disertum extitisse. Verum cum hanc multiplicem scientiam non solum utilem ad dicendum sed necessariam quoque adfirmo, illud tamen contendo hanc ipsam teneri potius debere ab oratoribus quam jactari, ut illi et eloquentiae semper meminerint, et personae quam susceperunt.

Itaque praetermissis caeteris omnibus de quibus alii disputarunt et disputant, hoc die propositum sit mihi: = Omnibus aetatibus atque adeo hac nostra, orator sacer nemo bonus nisi popularis, is scilicet qui dicat populi mentibus ac sensibus accommodate. = Tu, Praesul Amplissime, pro tua sapientia et auctoritate sacram eloquentiam, ad quam literae nostrae et studia praecipue spectant, jubes impense coli in hoc bonarum artium domicilio, et quasi eminere inter caeteras disciplinas, quae nobis ad omnis eruditionis copiam, ad cultum animi, ad elegantiam et humanitatem paratae sunt et traditae. Spes hinc mihi se ostendit

Te non moleste laturum quae dicam maxime cum iis conjuncta quae attuli superiore anno, quae res per se gravissima, quae tempus hoc et haec dies, quae utilitas horum adolescentium, et fides mea flagitant.

Eloquentia ita a primis usque temporibus a summis viris culta, ita in magnis civitatibus semper versata est, ut medio in populo nata, aucta, perfecta esse videatur. Licuit doctissimis hominibus deditis studiis disciplinarum gravissimarum, licuit in primis philosophis fugere consulto multitudinem, et latere tamquam in secessu defixis in rerum cognitione et obscuritate naturae; numquam integrum fuit oratoribus ab hominum conventu seduci, qui in luce, in celebritate, in turba et quasi tumultu versari et jactari consueverunt. Atque hi quidem ita populo usi sunt, ut cum eorum magis interesset flectere populares animos, eosque quo vellent impellere, tunc magis viguerit eloquentia, atque adeo ad summam amplitudinem claritatemque pervenerit. Quod si aliquando apud judices agi res coepta, haudquaquam prohibita est tamquam a concione multitudo, quae aspectu, quae clamore, quae plausu ad copiosius ornatiusque dicendum oratorum studia ardoremque excitavit. Quare sine multitudine audiente neminem eloquentem esse posse adfirmavit M. Cicero, qui tandem, quod populo carere coactus esset immutata urbis fortuna, declaravit se a dicendi consuetudine recessisse. En igitur cur eloquentia a dicendi magistris

et artificibus popularis facultas habita semper sit et appellata. — Neque vero alia est sacrae eloquentiae ratio, aut aliud officium sacrorum oratorum, a quibus non minus apud populum verba fiunt, cum non is populus censendus sit, qui minuta tantum plebe et contempta, sed hominibus minus doctis quocumque sint loco, plane omnibus, atque adeo, ut ait L. Seneca, togatis etiam et purpuratis continetur. Imo si discrimen aliquod inter sacram eloquentiam et eloquentiam forensem et civilem statuendum sit, quamvis una atque eadem est eloquentia, quae diversas res spectat non homines diversos, eloquentia sacra putanda est singulari quadam ratione et instituto popularis. Non haec apud praetorem, non apud judices, non apud magistratus, ut eos in suam sententiam adducat, sed omnibus verba facit quicumque adsunt, optimatibus et plebeiis, divitibus et egenis, civibus et peregrinis, viris, mulieribus, pueris, sapientibus tandem et insipientibus, indoctis maximam partem et rudibus, ut universi et singuli de rebus, quae unumquemque proxime attingunt, summis ac plane necessariis, cognoscant et statuant. Quid igitur Oratores sacri non pauci genus sibi dicendi adsciscunt, quod a populari absit longissime? Ad populum dicunt et populo dicunt. Quid est reliquum? Populi auribus et mentibus accommodata adhiberi debet oratio. Videtis istam, quam vocant eloquentiam, ab omnibus disciplinis profectam et obscuriori instructam abditaque sapientia, subtilem, abstrusam, in

ipso limine orationis meae concidisse? Si enim in eo posita est sacra eloquentia (quemadmodum eloquentia omnis) ut dicat ad persuadendum apte et apposite, nec cuiquam id persuadere possit, quod illius animo non comprehenditur, simul atque prosequitur remota a cognitione auditorum, conclamatum est. Nam difficilia illa hausta ex reconditis abditisque fontibus disciplinarum et philosophiae posse percipi a populo, quem descripsi, atque idcirco hunc ipsum populum, cujus magna pars constat iis hominibus qui nullas literas didicerunt, et pro vitae ratione et aliis omnino occupationibus et curis distinentur, hunc, inquam, populum, ea de causa, quod hac aetate tantum est doctrinarum et philosophorum, putare, et velle esse doctum, et philosophum, mihi videtur ita ridiculum, ut nihil praeterea opus sit dicere aut quaerere.

Verum placet rem, quae multo est maxima, accuratius expendere. Persuadere igitur est finis eloquentiae, atque idcirco non cogere ad assentiendum rationibus etiam reluctantes, ut faciunt Geometrae et Dialectici, sed ut oratores sibi proponunt ad credendum, probandum, faciendum volentes libentesque ducere, quod fit docendo, oblectando, movendo. Ut vero doceat eloquentia, quod primum est, et maxime necessarium, rem narrat, confirmatque sua, et refutat contraria vi et copia argumentorum, quae enthimemate et exemplo continentur. Haec duo argumentandi genera ita sunt propria hujus facultatis, ut et argumenta rhetorica

appellentur, et a dicendi magistris et ab Aristotele in primis, remotis fere caeteris, eloquentiae relinquantur. Quid ita? Videte et perspicite ingenium eloquentiae. Ideo nimirum quod enthimema cum per se brevius sit, facilius, simul atque positum est, arripitur a populo, qui neque acrius intendere aciem mentis valet, neque altius quae sunt repetita et derivata cognoscere. Exemplum vero ut sensus quodammodo impellit, ita celeriter animum subit multitudinis, eamque, quae maxime auctoritate ducatur, facile ad assensum adducit. Argumenta ipsa affert quae sint audientibus probabilia, sumpta de medio et communi sensu ac judicio, et si quae abstrusa per se, et obscura ex difficilibus studiis haurienda sint necessario aliquando, explicat, tractat, figitque quasi in novam faciem, ingeritque sensibus, et oculis aeque subjicit ut, posita ingeneratae forma severitatis, comem et popularem naturam induant. Tandem haec argumenta, prima, media, postrema, quasi praesidia causae, collocat eo ordine, eo instruit et munit apparatu verborum et sententiarum, quo aptius aures et animos occupent. Considerate totum quantum quantum est artificium eloquentiae in inventione, in dispositione, in elocutione, natam populo, et plane popularem reperietis. Quamobrem oratores quacumque aetate vivant, apud quoscumque dicant, doctos etiam et philosophos, oratione uti debent populari, et agere et loqui populariter. Si secus quis fecerit, quamvis eruditissimus et doctissimus sit, disputator jure vocabitur non

orator. Quare Aristoteles magnus idem Rhetor et Philosophus edixit oratores quo propius ad aliarum artium principia accedunt, eo longius discedere ab arte sua, et nomen, quod ab ea obtinent, amittere. Cicero vero *caeterarum,* inquit, *artium studia fere reconditis et abditis e fontibus hauriuntur: dicendi vero omnis ratio in medio posita communique in usu atque in hominum more et sermone versatur; ut in caeteris id maxime excellat quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disjunctum, in dicendo autem vitium vel maximum a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere.*

Haec eadem mens fuit semper oratoribus nobilissimis in civitatibus quae humanitate et studiis affluebant. Qua alia oratione quam populari dicebat Pericles Athenis cum omnibus artibus floreret ea civitas, qua Hyperides, qua Æschines, qua Demosthenes? Qua alia oratione quam populari Antonius, et Crassus, Hortensius, et Cicero tantum valebant Romae cum ibidem vigerent studia praecipue philosophiae ex omnium disciplinis philosophorum? Qua alia oratione quam populari Venetiis in illa luce literarum et ingeniorum effundebant illa flumina eloquentissimi homines in Senatu et Magno Consilio, eloquentissimi in foro apud magistratus, mirantibus etiam exteris, et in primis Vicetini illi duo decora et lumina patriae immortalia, quorum nomina omnium adhuc sermonibus percrebrescunt? M. Cicero dixit apud C. Caesarem virum acu-

tissimum, ingeniosissimum, doctissimum. Num ideo a dicendi ratione populari discessit? At nunc populari oratione taedet oratores sacros quasi humili et abjecta, cum sit ea vere et sola nobilis, gravis, decora, sublimis. Taedet nostros oratores sacros esse populares. Tu qui es qui in ministerio versaris, divinitus, ut ais, vocatus et missus? Nonne tui est muneris et officii divinissimae religionis mysteria et praecepta, idest quae credenda sunt et facienda audiente, qua es circumseptus, multitudine, docere et inculcare? Quid igitur illa obtrudis de doctrina temporum, de civitatum scientia constituendarum et regendarum, de commerciis, de cometarum orbibus et natura, de montibus lunae et ignibus inde erumpentibus, de coloribus iridis, de herbis, et metallis, de structura cerebri et oculorum, humoribus, nervis, membranis, de terra, mari, omni natura? Tu non solum res subtilius ductas connectis, ut aliae aliis inter se junctae colligataeque ducantur acri acumine et ratiocinatione difficili, sed etiam tamquam disciplinam aliquam in scholis tradas (non ignota loquor) conjungis, ut et ad ea, quae dicuntur in praesentia, debeant qui audiunt mentem intendere, et ad ea, quae triduo ante aut quatriduo sunt disputata. Parvuli petunt panem, et tu quin illis panem frangas, porrigis lapidem? Fratres tui vitiis obruti et inscitia mala labuntur in praeceps, et tu ruentibus et pereuntibus docta ista tua et pulcra occinis? Quin das operam ut turbam ab errore revoces in viam? Quin id agis ut

illam ad justitiam, ad pietatem, ad virtutem impellas? Tu pro Christo legatione fungeris? Miser officium deseris in re tanta, et flagitium non perhorrescis? Paulus, ille Paulus, qui incredibilem scientiae altitudinem hauserat raptus in caelum, qui invictissimus tam magnifice epicureos, stoicos, caeteros refutavit, Deus eloquentiae Lystris habitus, eloquentissimus Damasci, Antiochiae, Thessalonicae, Corinthi, Ephesi, Romae, Athenis in medio Areopago potentissimum nomen et regibus illaturus, rudes populos *non in sublimitate sermonis et sapientiae,* sed tanquam lac illis potum daret, instituebat. Ipse magister et doctor divinus Christus in Evangelio, ut in hoc etiam exemplo sit, cum omnibus hominibus loqueretur ad omnium intelligentiam sensumque loquens accomodate, augusta et admirabilia effert facili simplicique sermone in plenissimam lucem veritatis; nunc servum objiciens obruentem terra talentum; nunc patrem familias mittentem operarios in vineam; nunc pastorem quaeritantem ovem, quae perierat, et ea inventa et imposita super humeros redeuntem cum gaudio; egenum filium reversum ad patrem; indutum bysso divitem; pisces in rete inclusos; dragmam mulieris; nuptiale convivium. Nostros sacros oratores philosophos pudet tam demisse sapere. Sed quoniam adeo sunt eruditi, numnam ignorant Augustinum, cum eloquentiae christianae praecepta traderet, monuisse non solum docentis esse ad discentium captum infirmitatemque descendere, monstrare, proponere,

explicare, sed etiam tacentem populum diligenter inspicere, ut si populus vultu, oculis, gestu aliquid significet minus esse assecutum, illud orator, mutatis verbis atque sententiis, retractet et insinuet in animos multimoda varietate dicendi? Qui Augustinus cum in Manichaeos non quidem orator dixisset, sed scriptor mandasset literis quae minus aperta indoctis viderentur, monitus genus illud scribendi repudiavit. O mores inversi! Doctissimi Patres et sanctissimi, nihil de scriptis cogitantes et de gloria sua, populum unice intuebantur, ut illum divino verbo pascerent. Nunc vanissimi homines se ipsos respiciunt, unice nihil de populo solliciti nisi ut ipsi a populo pascantur laudibus! Mentis magna agitantis et pervidentis vim, et opes ostentare omnigenas eruditionis, nova proferre et inaudita, iis repudiatis et contemptis quae alii occupassent, plura significare quam dicere, quaedam obscurare consulto, haec multis curae sunt hoc tempore ut habeantur docti et ingeniosi, si ad eos intelligendos opus sit ingenio et doctrina. Laudatur Demosthenes quod cum verba faceret de patria nihil videretur nisi patriam cogitare: M. Antonius ille orator declarat apud Tullium in judiciis et periculis hominum non tam ingenii sui existimationem spectari ab oratore debere quam fidem et officium, etiam cum alienissimos defendat: oratores sacri quorum est Deum unice spectare et hominum salutem, inanem gloriam spernere, hoc tantum suscipiunt sanctissimi muneris, ut serviant levitati et superbiae et libidini suae. Dubi-

tem ego non neminem verba facere etiam cupiditate mercedulae? At vero si de agello suo causam dicerent, itane dicerent apud judicem?

Sed quoniam tanto gloriae amore ducuntur, liceat mihi per vos aliquem istorum non quidem ut paulo ante feci, verum alia ratione interrogare, et sic agere. Ecce convenit hominum multitudo, magna frequentia sedet, erigitur in expectationem. Quid tum inde? Prodis ipse. At quanam de causa prodis? Ut nimirum apud eos dicas inter quos ad dicendum surgis, et quos ipse dicturus in unum locum accivisti. Ut igitur dicas te das in conspectum; et ea pergis dicere, quae scis paene ab omnibus intelligi perinde ac si nullus dicas? Ita tecum pugnas? Si rusticus, cum agrum colere instituit, instrumentis utatur, quibus neque serere quidquam possit neque arare; si miles postulet vincere iis armis quibus nullo modo parari victoria potest, merito dicantur insanire; quid tu ab illis discrepas? Ut igitur literatissimus videare, hominem quodammodo exuis? M. Antonius, quem dixi, qui cum L. Crasso de eloquentiae principatu contendit, tantum abest ut scientiam importunam venditaret; studiorum et in primis philosophiae rudis videri conabatur, ne scientiae opinio orationi imminueret auctoritatem. Quem enim doctiorem novit populus, eum etiam aptiorem putat ad fallendum. Nefas sit quidquam fallax in sacro oratore suspicari. Attamen cum populus adeo te scientiae ostentandae cupidum, quam ejus utilitatis studiosum, videat,

poterit fortasse non sine causa de oratoris fide minus bene sentire. Tum illa disciplinarum gravitas, et quasi tristitia, illa frons docentis et quasi imperantis magistri, grave illud supercilium videtur minus oratori, praesertim sacro, convenire. Quibus de causis illi sacrorum Oratorum principes praeter Augustinum, illa exempla, in quae omnes intueri debeant, splendidissima, Hieronymus, Ambrosius, Cyprianus, Chrysologus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, et, ut nostros etiam attingam, ille eloquentissimus, totus a Cicerone aut potius Ciceronis aemulus, Paulus Segnarus, omnesque deinde oratores sacri nobiles et illustres, cum theologi revera essent, et philosophi, iis qui minus essent, scientiae jactationem reliquerunt.

At, inquiunt, placemus, et eos oblectamus qui confluxerunt audituri. Hoc est nimirum in quo se jactant et efferunt. Utrum vero etiam jure se efferant vos paulo post judicabitis. Atque illi primum hoc a me responsum ferant, non ea de causa oratores verba facere ut delectent, sed ideo delectare, ut conciliatis hominum mentibus facilius ea persuadeant, quae docere instituerunt. Nihil enim oratoribus praesertim sacris debet esse commune cum veterum Sophistarum levitate, qui nimirum, quod inutili voluptate audientes alliciebant et fallebant, vehementer in Phaedro et Gorgia a Platone reprehenduntur. Sed quoniam delectare oratoris est, et sacri etiam oratoris, juvat quaerere hoc loco

utrum illi aut ulli, quibus popularis desit dicendi ratio, queant revera delectare. In quo mihi respondeant, quonam tandem pacto possint ea cuipiam e populo revera voluptatem afferre, quae ab illius sunt sensu intelligentiaque disjuncta? Doctos, inquiunt, delectamus. Ita sane. Non enim sunt tanti non docti. Ego vero, ut loquar de me, vix existimo posse contingere, ut docti homines tum ingenio praediti, tum judicio prudenti et perpolito non stomachentur, cum audiant orationem eam, quam intelligunt tantopere ab oratoris officio institutoque abhorrere. Deinde cum genus ipsum orationis considero, equidem non intelligo, quid habeat voluptatis, qua jucunde valeat per se doctos homines detinere. Quid? An doctum virum, eleganti praesertim eruditione excultum, qui in maximorum oratorum cognitione versatus, et in studio scriptorum praestantissimorum verae consueverit pulcritudinis sensu commoveri, ea jucunde afficiant, quae doctrinam redolent et taedia scholarum? Quae si cui placent non satis humano, et nimis philosopho, aut theologo, non video cur hunc non potius lineae in monogrammis capiant quam picturae, aut in corpore ossa severo artificio digesta quam apta membrorum figura atque habitudo cum quadam coloris suavitate. Num vero doctum hominem juvent sententiae illae non tanquam orationis lumina apte prudenterque dispositae, sed crebrae, et ad fastidium quasi structae et compactae? Num similitudines ex abditis ignotisque rebus petitae, quae rem

potius offundant tenebris, quam collocent in bono lumine? Num sermo conveniens disciplinis gravioribus, nominibus notans propriis atque suis (quod saepe necesse est) res, quae inde sumuntur, hoc est inornatis et barbaris, ab eloquentia abhorrens, imo ipsam tollens funditus eloquentiam? Num tandem quae non pauci gracilitati et jejunitati, ut monstra omnia, et portenta discordi concordia copulentur, adjiciunt quaedam poetica ultra omnem poetarum licentiam, plura a fabulis, quas nonnulli Romanienses vocant, quarumque tam mira libido nunc homines vexat? O temporum infelicitatem! O dedecus nostrum! Illae amorum et heroicorum facinorum et casuum eventorumque admirabilium fabulosae narrationes, quas passim nunc scribunt docti, indoctique, virique, foeminaeque, a Britannis, a Gallis, a Germanis, a quibuscumque, inferuntur in urbes et regiones nostras turbido quasi torrente, et cupide excipiuntur sine delectu, et avide teruntur manibus, et tabernas, et domos, et gynaecea tenent et complent in perniciem. Non quaero modo quantum boni mores inde detrimenti capiant. At certe eaedem fabulae non solum itali sermonis elegantiam et integritatem inficiunt multiplici confusaque peregrinitate, non solum recte scribendi dicendique rationem externis vitiant pigmentis, et offuciis, non solum omni labe optimas literas inquinant, sed ingenia ipsa hominum et bonam mentem pervertunt. Cujus pestis pessimum virus cum serpat in dies latius et manet in omnes vitae

partes, prodit se undique et apparet in poematis, quae eduntur, in musicis sonis et cantibus, in frontibus et titulis librorum indigne turpatis barbaricis literis, et puerilibus ineptiis, in aedibus, quas majores nobilissimas et pulcherrimas extruxerunt, peregrinum in morem ridiculumque deformatis, in coenarum instructu atque apparatu, in cultu vestium, gestu, incessu, facie ferociter barbata. Istum ergo amorem gustumque fabularum istarum, praesertim cum istae quoque saepe philosophiam sapiant, istud scribendi genus et colorem, istum stilum inducunt in orationes suas quidam sacri oratores, hi praecipue qui tam subito oratores nascuntur, qui contemnunt oratores sacros non nimis philosophos plaudentes ingenio suo, atque agunt Deo magnas gratias quod non sunt sicuti caeteri homines. Verum illi placeant, per me licet, cumulentur laudibus, carminibus celebrentur, efferantur in coelum. Idcirco ne erunt oratores? Aut potius laudes istae plane indicabunt multos depravato palato gustare ista, et nos in mala tempora incidisse? Ipse vero populus (quis nescit?) perstringitur saepe et obtunditur rerum ignotarum specie, gestu, vocis vanissimo strepitu, admiraturque stupens, et laudat nescius quid laudet et admiretur. Illud non possum satis mirari graves viros quosdam his frequentes adesse, his favere nescio pejore consilio an exemplo, qui et dicentibus ad magis audendum, et bonis adolescentibus ad imitandum animum addunt. Verum vos, si sapitis, nolite ulla auctoritate

moveri. Ego ad illud propero, quod est in hac causa potissimum et maximum.

Quis est nescius laudem esse ex oratoris laudibus summam audientium animos ita agere et tractare dicendo, ut impellantur quo libet, et unde libet flectantur et deducantur? In hoc vis existit mira ac prope divina, in hoc illa dominatur, quae ab Ennio flexanima dicta est, et omnium regina rerum, eloquentia. Magis enim homines ducuntur aut spe, aut odio, aut amore, aut reliquis perturbationibus, quam rebus et veritate. Quare qui perite omnia inveniat ad faciendam fidem, eaque apte et jucunde disponat atque ornet, si minus est idoneus ad concitandos motus animorum, is merito dignus censetur a Quintiliano qui disertas causas doceat, non qui orator appelletur. Nihil est necesse, his doctissimis viris praesentibus, monere, quaecumque peraguntur ab oratore sacro cum permovet audientium animos, imo etiam cum docet, et delectat dicendo, divina virtute peragi, atque adeo eo sermone, qui unice *vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Sed cum humana haec artis adjumenta non sint idcirco repudianda, quod notum est omnibus, hoc adfirmo, nihil esse, quam sermo iste, quo multi sacrorum oratorum uti consueverunt, magis alienum a ciendis animorum motibus, quos idem ego contendo populari una oratione misceri atque agitari. Agedum. Quandonam, et quibus rebus, et quo modo hominum animi perturbantur? Nimirum cum objiciuntur ea, quae penitus

eos, qui audiunt, aut naturam humanam, in qua ipsi siti sunt, et cujus sunt partes, proxime attingunt, profutura aut nocitura, eaque agentia, acria, insignita mentem percellunt, impelluntque vehementius. Quare nihil tam abhorret ab animorum perturbationibus quam subtilis et obscura disputatio, et a rebus, quae geruntur in vita, longissime abducta, atque abstracta. Illa igitur adsit popularis oratio, quae ad usum vitae, et veritatem accommodata, rebus de medio sumptis, et in vulgari cognitione positis confici consuevit. Illa illa ea est, quae gravis, quae vehemens, quae splendida vi, et copia, et granditate verborum et figurarum incurrit in sensus, et agens, et penetrans, et pervadens in animos ita naturam fingit imitando, ut non tam exprimi videantur verbis quae dicuntur, quam sisti propemodum in conspectu, atque eminere. Non enim verbo simul atque emissum est excitantur perturbationes, sed mora, et idem urgendo saepius, et saepius eodem redeundo, et in primis amplificatione, quam boni quidam philosophi hac aetate vitium videlicet esse eloquentiae judicarunt. Hac oratione instructus Pericles, quem nominavi, dictus ab Aristophane poeta tonare, fulgurare, Graeciam permiscere. Hac Tiberius Graccus, cum advocata concione tanquam sibi mors emineret ab adversariis, lugubri veste indutus, flensque et miserabilis populo Romano tradidit in tutelam parvulos filios, quos secum adduxerat, incredibiles illos in multitudine motus excitavit. Hac Cajus illius frater

lacrimas elicuit ab ipsis inimicis cum illa praecipue dixit: *Quo me miser conferam? quo vertam? In Capitoliumne? at fratris sanguine redundat? Matremne ut miseram lamentantemque videam et abjectam?* Hac M. Antonius C. Norbanum servavit cum judicibus magna miseratione et dolore permotis rei consularis, et senis, et sordidati imperatoris, diducta tunica, ostendit cicatrices adversas. Hac M. Cicero illas tragoedias excitavit. Hac tandem Massilonus, quod nos propius spectat, ita in eos, qui aderant et audiebant, aliquando dominatus est, ut commoti repentino quasi impetu assurgerent, stupentesque, et sui quasi nescii errarent palantes in templo. Quid? An non orator iis ipsis sensibus, ad quos audientes velit perducere, ipse primum debet commoveri? Nemo enim ea flamma, quam non habet ipse, alios incendit. At vero quis putet inflammari oratores, qui a rebus sevocant animum, avocantque ad se involuti cogitationibus suis, et sua contemplatione defixi? O Chrysostome! Quem enim potius appellem quam ipsum te, qui et populari eloquentia, et animis concitandis tantopere praestitisti? Quibus tu rebus eos commovebas, qui aderant in concione, cum aut spectaculorum insanum studium reprehendebas, irritamentum malorum, aut vetabas cogi cives ad jusjurandum, aut benevolentiam excitabas, et largitatem in egenos, aut in ambitionem, in invidiam, in avaritiam invehebaris, aut a furore commotae seditione plebis, et flagrantis acerbissimo odio

defendebas hominem dejectum de pristina fortuna, tenentem aras in quas confugerat, trepidantemque, et pallentem morte futura? Tu, tu ingenio praeclarissimo natus ad dicendum, et exemplis formatus oratorum veterum clarissimorum, et multiplici abundans opportunaque doctrina, et studio occupatus religionis, gravis, copiosus, vehemens, magnificus, sive hortareris ad honestatem et rectefacta, sive a pravis moribus et flagitiis deterreres, sive caducis his aeterna illa opponeres et immortalia, sive constitueres ante oculos impiorum cruciatus, ita rerum, de quibus dicebas, illustrium afficiebaris magnitudine et veritate, ita intorquebas illa fulmina, illa miscens incendia inflammabaris, ut dolentem populum, laetantem, abhorrentem, lacrimantem, flecteres, impelleres, eriperes quodammodo e terra, et supra homines tolleres.

Nunc vos qui adestis testes mihi volo. Num ab istis, qui hoc genus dicendi populare repudiant, discedentem multitudinem commotam videtis, et perturbatam? Num, cum ipsi estis praesto, illam cernitis ad dicentis arbitrium affici atque agi? Num vos sentitis animos vestros tangi et permisceri? Quos isti ab errore reducunt ad veritatem, ad pietatem ab iniquitate, a vitiis ad virtutem? Quem capiunt fructum ex disputationibus suis? Non opus est pluribus. Neque docent, quod est necessitatis, neque conciliant delectatione, quod utilitatis est, neque flectunt, quod est victoriae. Quid igitur? Neque persuadent. Quare,